

obtruncari jussit. Is virtute non modo, & armis, verum astu, ac technis Turcicas res vehementer auxit; Flaviis, sive Flavii, sic enim appellari volunt Valachi, ferocissimis, & bellicosissimis trans Danubium, Euxinum versus mare, late imperantibus, crebris excursionibus labefactatis, gravia tributa imposuit; Turcarum Regulos nonnullos in Asia vi oppressos ditionibus exuit. Eo extincto, Amurathes secundus patriis fretus opibus, ac viribus, Thessalonicam Græciæ civitatem vi captam, expugnatamque diripuit; Aetoliam, atque Epiri partem occupavit; multa Illyricorum oppida vel deditione, vel armis subegit, devicto ad Varnam Ladislao Sarmatiæ Rege. Summa cum reipublicæ christianæ jactura formidolosior effectus, Corinthiacum isthmum (*Hexamylum* vulgo vocitatum) expugnavit, atque evertit; inde in Peloponneso aditu patefacto, Græcos calamitatum variis generibus afflixit, oppidis captis, ad prædamque militibus expositis, ingenti illis imperata pecunia, pacis leges præscripsit. Mahumetes subinde filius hujus nominis secundus Byzantinam expeditionem diu animo meditatus, castello prope litus ad Bosphori ostium, mira dissimulatione usus, incredibili celeritate extructo, atque munito, fœderum religione spreta, bellum Græcorum Imperatori terra, marique intulit. Post quartum & quinquagesimum diem, extrema edita pugna, Constantino Paleologo confosso, principibus, optimatibusque viris (qui mos feræ gentis est) miserandum in modum fœde jugulatis, celeberrima totius orbis urbe est potitus.

Exin Turcarum vires ejusmodi incrementa susceperunt, ut Christianis Principibus deinceps metuenda, & formidanda extiterint. Byzantio enim occupato, quo nulla toto terrarum orbe civitas opportuniore loco sita est, magna reliquis Ottomanicæ genti ad gloriam, atque imperium augendum opportunitas accessit. Quemadmodum superius etiam a nobis memoratum est, ut modo si maritimum Turcicarum ditionum ambitum inspicias, ab Illyrici, quos cum Republica habent, finibus in Epirum procurrant; Peloponnesi, & Græciæ litora legendo Byzantium usque, centena millia passuum vices emens perveniant. Inde Euxini maris circumflexu usque ad extremos Europæ fines provehuntur. Eadem maris vastitate usque in Aegyptum ad Nilum amnem, quo Asia ab Africa sejungitur,

*Turcarum  
imperium,  
opes, & ri-  
tus.*